

possit id à quoquam infringi. Ergo si eius esse possit iudicare, qui prior dixerit: mirum fuerit, si semel in vita contingat videre qui contradicenti cedat. Quid porrò hîc Paulus? *Prophetæ duo aut tres loquantur* (inquit) *cæteri iudicent.* non vult ergo eosdem esse partes ac iudices. Additque paulò post: *Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. non enim dissensionis est Deus, sed pacis.* Quare vbi quisque suam dixerit sententiam, eum aliorum acquiescere oportet iudicio, neq; pertinaciter contendere. Hoc ni fiat: certum est, contentionum finem fore nullum.

Sed quid si assidentium iudicio acquiescere quis nolit? equidem dixerim admonitum grauitè, ne turbet Ecclesiam, néve contra Apostoli, vel potiùs Domini præceptum faciat, iubentis Prophetarû Spiritus Prophetis subiectos esse: eijciendum è cœtu, vel si principem in Ecclesia locum obtineret.

Monèdus etiam sæpè est populus, non fieri cuiq; ab Apostolo dicendi potestatem in Ecclesia: vt tanquam in foro liceat quicquid in buccam venerit, sed quum ei cui patefactum quid fuerit, loquendi potestatem facit, abesse omnem vult temeritatem impudentiamque.

Qui Dei Ecclesiam veritus non fuerit: is Dei spiritum, qui ei præsidet, sciat se spernere, neque impunè laturum. Antequàm in medium adferat quid, cogitet etiam atque etiam